



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē**

**Barbosa, Agostinho**

**Lipsiæ, 1697**

Cap. XXXIIX. De Fructibus, Accessionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)



in tr. de re furtiv. penes tertium reperta.  
q. 4. n. 13. Franc. Molin. de rit. nupt. lib. 2.  
p. 11. n. 25. add. *supr.* ax. 3. b. cap.

## CAP. XXXVII.

Frivolæ Objectiones  
& Exceptiones.

*vide Objection.*

De Frivolis excusationibus v. l. 1. 7. 8. 9. & 13.  
C. de Excusat. ubi Welsch. parat. ff. n. 1. Clem. 1.  
de sentent. Excomm.

## CAP. XXXIIX.

De Fructibus, Acces-  
sionibus.

## Axioma I.

In quibusque fructibus producendis vel  
sola natura operatur, vel industria humana con-  
currit, ita tamen, ut natura prævaleat, illi sunt  
naturales.

Ratio: quia in his natura magis spectatur,  
quam industria humana. Exempla sunt in fœno,  
nucibus & omnibus fructibus sylvestribus.

## II.

Quosunque fructus natura producit concu-  
rente operâ humanâ quoad culturam & curam,  
& naturæ prævalente, illi sunt industriales. Quia  
in hisce plus videtur operari industria, quam na-  
tura, à principali autem debet fieri denomina-  
tio. Exempla sunt in vino, frumento, fœtu pec-  
cudum, &c.

## III.

Quosunque fructus quis bonâ fide percepit  
& consumsit, illos irrevocabiter suos facit, l. 4.  
§. 2. ff. Fin. Reg.

Ratio consistit in bonâ fide, quæ tantundem  
præstat possidenti, quantum rei veritas domino  
vero l. 136. ff. de R. j.

Limita: ut procedat (1.) in judiciis particu-  
laribus, e. gr. in rei vindicatione, non in univer-  
sali, in his enim omne lucrum restituendum.  
(2.) in fructibus ante Litem Contestatam perce-  
ptis, non post eam, l. 22. C. de R. V. Modò postea  
possessor condemnatur, si res evincatur.

## IV.

Quicunque fructus non ex ipsâ re, sed occa-  
sione rei percipiuntur, illi sunt Civiles; exemplo  
sunt pensiones ædium, der Milch, Zins & usuræ  
l. 34. ff. de Usur.

## V.

Quicunque fructus sunt bonâ fide percepti,  
sed adhuc extant, illi cum prædio sunt restituen-  
di, l. 22. C. de R. V.

Ratio: quia fructus extantes se habent per mo-  
dum accessorii ad prædium: restituto igitur præ-  
dio tanquam principali, restituendi sunt fructus  
ut accessorium.

Limita: ut procedat, nisi tales fructus per tres  
annos possederim & sic usuceperim, Köppen in  
usu præd. Instit. obs. 13. n. 10.

## VI.

Quicunque fructus sunt pendentes, seu non-  
dum percepti (stehende Früchte) illi semper  
cum prædio restituendi, quia sunt pars fundi  
l. 44. ff. de R. V. Exemplo sunt poma nondum de-  
cerpta omnino restituenda, *conf.* Carpzov. P. 3.  
C. 31. Defin. 1.

Limita: ut procedat ita, si prius deductæ fue-  
rint impensæ necessariae. Nam fructus non intel-  
liguntur nisi deductis impensis.

## VII.

Quò ipsò tollitur bona fides, eò etiam tollitur  
acquisitio fructuum, quia bona fides causa est ac-  
quisitionis fructuum. Hinc igitur postquam quis  
agnovit rem esse alienam, fructus non amplius  
acquirat l. 48. §. 1. ff. de A. R. D. Quod moribus  
hodiernis conveniens testatur Brunnem. ad l. 25.  
ff. de usur. in fin. Ita bonæ fidei possessor tenebi-  
tur etiam ad fructus percipiendos post scientiam  
rei alienæ, quia sic incipit esse in malâ fide.

## IX.

Quicunque fructus vel jam percepti sunt, vel  
etiam honestè percipi potuerunt, illos omnes te-  
nentur restituere malæ fidei possessores l. 33. ff. de  
R. V. quia nemo ex suo delicto sentire debet  
commodum, & imputet sibi malæ fidei possessor,  
quod rem alienam detinuerit.

Limita: nisi subit aliquid, quod à malâ fide  
purget, sic enim à fructibus percipiendis quis ex-  
cusatur. Mev. P. 8. Decis. 387.

## IX.

Quoties quis tenetur ad rei restitutionem, cu-  
jus usus permissus ipsi non erat, toties omnia re-  
stituere tenetur, quæ occasione rei percepit.

Ratio: quia accessoria sequuntur suum princi-  
pale, arg. §. 26. Inst. de Rev. Div.

Exempla sunt in malæ fidei possessore, l. 117.  
ff. de R. V. depositario l. 1. §. 24. ff. de pos. Credito-  
re l. 14. ff. de condit. indeb. Mandatario l. 10.  
§. 2. ff. mand. Tutore l. 1. pr. §. 1. seqq. de tutel.  
& tutor. distrib.

## CAP. XXXIX.

## Frustra, Frustraneum.

## Axioma I.

Frustra nihil debet positum intelligi; sed  
omnia verba debent aliquid operari. l. si quando  
109. de Legat. 1. Nec est disputandum de rebus  
inanibus aut superfluis. Sichardus ad l. 1. C. Ne  
uxor pro marito. n. 3. incipit. Lex frustra disputa-  
tur. Imò nemo censetur, frustratorium actum  
celebrasse, Carpzov. 5. Resp. 97. 14. per l. 59. de  
V. O.

## II.

Frustra fit, quod non relevat, Joh. Baptist. Co-  
sta de jur. & fact. scient. & ignor. inspect. 31. n. 2.  
vid. omnino Surd. 1. consil. 86. n. 17.

## III.

Ars & natura frustratoria non admittit. l. hæc  
stipulatio 14. §. Divus 1. ut legat. nom. cav. Sic nec  
contrahentes ullam syllabam otiosam posuisse,  
præsumitur. post gloss. & alios, Goth. Anton.  
disput. feud. 6. th. 5. C.